

(9.)

bia sunt. Quæ tota quæstio tribus, ut videtur, absolvi potest regulis, quarum prima est; *Verba debent intelligi ex usu loquentis, quoties res ab ejus solius dispositione dependet.*

§. 5. Atq; hoc Naturæ convenienter; cum enim de ejus solius voluntate per ipsum explicanda quæstio fit, per naturam non potest illa aliter aut aliis indiciis declarari, quàm quibus & qualiter ipse iis ad id uti consuevit; ut itaque naturaliter hoc casu inspiciatur, quid ipse illis verbis soleat indigitare, aut quem usum vox ista apud eum habeat.

§. 6. Neq; aliter est intelligendus Cicero, cum in *Orat. pro Cacinn.* ait *Quid? verbis hoc satis cautum erat? minime! quæ res igitur valuit? voluntas* (si scilicet aliter illa apparet) *quæ si tæcitis nobis intelligi possit, verbes omnino non uteremur, quia non potest, verba reperta sunt, non quæ impedirent, sed quæ indicarent voluntatem.* Nec aliud est, quod habet Idem *lib. 1. d. Offic. In fide quid senseris,* (seu quomodo solitus sis exprimere sensus) *non quid dixeris, cogitandum.* Hinc quoque in Jure Romano egregiè dispositum est, si de dubia legislatoris & testatoris voluntate ambigitur, ut inspiciatur, quid apud eos nomine isto venire soleat. Utrumque enim, & præceptum superioris & testamentum aut dispositio testatoris, à solius loquentis dispositione valorem suum accipit. Siquidem legem superior solus facit, & est dispositio unius, ex qua Cives etiam inviti & reluctantes obligantur. Nec minus testamentum est actus, qui à solo testatore fit de hæreditate transferenda. Hoc itaque est, quod dicitur in *l. 96. ff. d. reg. Jur. In ambiguis orationibus* (legis nimirum, aut testatoris) *maximè sententiam spectandam esse ejus qui eas protulisset.* Item in *l. 50. §. fin. d. leg. 1. Si numerus*

*Probatur eam esse J. N.*

*Et firmatur auctoritatis & ex multis ex Jur. Civili.*

B

rus